DE ULCERIBUS VENEREIS SPECIMEN INAUGURALE QUOD IN ALMO...

Gaspare Bracchi

DE

ULCERIBUS VENEREIS

SPECIMEN INAUGURALE

QUOD IN ALMO AC PERVETUSTO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PRO

MEDICINAE LAUREA RITE ASSEQUENDA

PUBLICAE DISQUISITIONI PRAEBET

I. A. CASPAR BRACCHI

BURMIENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVI.

CLARISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

PETRO ANDREAE FOGAROLI

CANONICO

PULCRARUM LITTERARUM BURMII IN GYMNASIO
EMERITO PROFESSORI AC PRAEFECTO
ELEMENTARIUM SCHOLARUM
I. R. INSPECTORI DISTRICTUALI
ATQUE IBIDEM VACANTIUM ECCLESIASTICORUM
BENEFICIORUM SUB-OECONOMO

Si homines in eos, a quibus summa beneficia consequuntur, grato et obsequioso animo obstringi necesse est; ego certe quam qui maxime obstringor in Te, Vir amplissime, qui me a teneris unguiculis ita humaniter fovisti, ut patris personam et susciperes generose, et peramanter sustineres. Sine igitur, me publicum testimonium dare illius observantiae, quam Tibi jamdiu debeo, et officium persolvere, quod sapientia et liberalitas tua a me postulat atque adeo exigit. Hactenus silere coactus sum, eo, quia nulla occasio offerebatur implendi publice hujus officii, praetereaque mihi ipsi virium infirmitas difficile negotium exhibebat. Verum, quoniam modo perductum est ad finem illud aedifi-

cium, cujus Tu fundamenta jeceras, ne, quaeso, abnuas munus, quod mihi lauream in medica Facultate obtinenti placet ad Te mittere hac qualicumque oratione exarata et typis commissa. Equidem scio, quantum hoc impar sit meritis tuis, atque idcirco pudore suffundor. At quum nihil melius possim sistere, quumque satis superque cognoscam, Te magis animum et voluntatem, quam rem ipsam expendere; audeo Tibi inscribere lucubratiunculam, quam aequi bonique facias etiam atque etiam rogo. Ceterum Tibi persuadeas velim, me, si quid amplius valerem, totum in eo futurum esse, ut maximis meritis tuis cumulatissime satisfacerem. Quod interim deest, sit humanitatis et clementiae tuae excusare.

Vale et vive diu, Maecenas splendidissime, cujus ingenium et doctrinam satis admirari non potest

TUI STUDIOSISSIMUS ET OBSEQUENTISSIMUS
I. A. CASPAR BRACCHI DISCIPULUS.

DE

ULCERIBUS VENEREIS

Definitio in universum de morbo venereo.

Latet nos vera syphiliticae luis natura, quippe quia illam in statu suo simplici et primo deprehendere et cognoscere numquam possumus. Utcumque hoc sit, quum luem veneream, syphilidem, morbum gallicum dicimus, sive aliquid hujusmodi, eam contagionem aut peculiarem substantiam significamus, quae admissa in organismum, cui admovetur, est causa praeternaturalium excretionum aut secretionum, cum quibus commixta earum naturam perturbat et immutat ob processum morbosum, qui suipsius tantum proprius est.

Morbi venerei origo.

Quo primum tempore hunc morbum, teterrimum nostrae felicitatis hostem et summum naturae dedecus, homines contraxerint, valde dubium atque incertum est; quemadmodum etiam non sa-

tis constat, quo tempore facta fuerit prima ejus in Europa manifestatio, et unde invectio. Quidquid certi in hac re dici potest, illud est, antiquos auctores verba facere de quibusdam morbis, qui magnam rationem habent cum variis characteribus luis venereae; atque ita ejus origo ab ultima antiquitate esset repetenda. Hujusmodi morbi fortasse sunt de quibus est mentio in Levitico, in Job, et aliquando in Psalterio. Celsus quidem lib. VI. cap. XVII. *De obscaenarum partium vitiis*, loquitur de ulceribus corrosivis praeputii et glandis, de gonorrhoea alba et saniosa virgae, de ejusdem mortificatione, cancro, ulcere fagedaenico, de praeputii et glandis verrucis, de condylomatibus ad anum, de tumoribus testiculorum nulla interveniente contusione externa. Hos ut morbos ordinatos idem Auctor exponit, et solis causticis vincendos esse affirmat. Sed erant ne hi morbi aliquae, ut ita dicam, formae recentioris morbi syphilitici, vel potius affectiones diversae omnino indolis? Profecto is ego non sum, qui aliquid in hoc argumento definiam. Verum rationes, quas doct. Sanchez affert in sua Dissertatione *Intorno all' origine della malattia venerea*, et in suo examine historico *Intorno alla manifestazione del morbo gallico in Europa*, probabiliorem faciunt morbi venerei existentiam in Europa etiam ante, quam Columbus a prima sua perlustratione Insularum Caraibarum re-

diret anno 1493. Hujusmodi opinionem comprobat articulus quartus Statutorum manuscriptorum publici lupanaris avenionensis, quae edidit anno 1347. regina Joanna I. Sic inter alia statuit lex:
» La regina comanda che ogni sabato la moglie del
» Podestà, ed un Cerusico costituito da' Consoli
» abbiano la cura di visitare ciascuna Meretrice; e
» casochè se ne ritrovi qualcuna, che abbia con-
» tratto del male proveniente da lascivia, sia ella
» separata dalle altre, affinchè non possa far copia
» di se, e così si eviti il male, che la Gioventù
» potrebbe attaccarsi ».

E contrario celeberrimus Girtanner credit, posse se sine aliqua dubitatione affirmare, luem veneream ab America derivatam fuisse. Ferdinandus enim Columbus, ait ipse, in collectione observationum sui patris Christophori, quocum pluries Americam invisit, mentionem facit hujus morbi, et praeterea adjicit testimonia plurimorum tum Historicorum, tum Medicorum praecipue hispaniensium; tandem etiam luctuosissimam illam diem signat, quae fuit quarta Martii, anni 1493, qua pestis omnium miserrima et sordidissima in Europam invecta est. Sed haec omnia oppugnat, et falsa demonstrat praestantissimus doct. Thiene in Epistola ad doctissimum professorem Curtium Sprengel.

Cur vero absurdum esset id opinari, contagionem syphiliticam esse ejusdem aut fere ejusdem

naturae, ac ceterorum animalium miasmatum? et ex quibusdam causis, ex. gr. ex immunditia, ex nimia coitus intemperantia, ex male instituto regimine diaetetico, unde perturbata hominis constitutione, perturbentur simul ejus secretiones, posse eumdem morbum etiam spontaneum ingenerari, quomodo spontanea ingeneratur hydrophobia, variolae, morbillus aliaque similia?

Praeterea, si idolatricae nationes plurimae, ut historia ostendit, quae solidas systematis generantis partes, sive potius Priapum cultu quodam omnium licet turpissimo prosecutae sunt, de humoribus inde emanantibus non solum turpia et fastidiosa judicarunt, sed humores ipsos etiam tamquam venena pestilentissima habuerunt; nonne concludi evidenter poterit, quod omnes ad unum homines cognoverint, posse ulcera fieri ex eorumdem humorum concursu et ulteriori perturbatione? Nonne haec reputanda erit fortasse verosimilior causa, cur Mahumetes Munsulmanis imperaverit circumcisionem, a qua nemo prorsus eximebatur, ut mundior esset glans, ideoque exulcerationibus minus obnoxia?

Denique, ut, quod sentio, magis evidens fiat, pulcherrima occurrit historia doctissimi Professoris Caesaris Ruggeri, qui blennorrhoeam ulceribus associatam se vidisse testatus est, et ex linctu canis derivatam. Ex quo patet clarissime, mixtionem diversorum humorum, praecipue acrium et irritan-

tium cum muco, qui ad genitalia separatur, posse morbos gignere, qui etiamsi interdum indolem veneream non praeseferunt, habent tamen magnam rationem cum illo morbo, et quoad modum, quo manifestantur, et quoad methodum curativam, qua ad restituendam salutem utendum est.

Certe magna utilitate erunt hae inquisitiones peritissimis Chirurgis, quos saepe publicus regendorum morum Magistratus vocat ad invisendas Meretrices, ut syphilitica, si quae ipsae habent ulcera, recognoscant. Scire eos oportet, inveniri saepissime ulcera etiam non syphilitica, quae syphiliticis valde proxima sunt, eo quod contagio abest, et idem habetur apparitionis modus, et sanitas restitui potest eadem curatione, nec tamen universalis inducitur lues, quod syphilitica saepissime faciunt. Itaque summa diligentia et indefesso labore notare debent ipsi vel levissima phaenomena, sub quibus illa atque ista se produnt, et singulos characteres optime noscere, unde ulcerum diversitas pendet.

Effectus viri syphilitici in humanum organismum.

Effectus, quos venenum illud, de quo verba facimus, parere potest, quum in humanum organismum admittitur, multi ac varii admodum sunt

pro ejus majori vel minori dilatatione aut concentratione in vehiculo, in quo manet solutum; pro diversis gradibus acrimoniae et volatilitatis, quibus gaudet; pro parte, ad quam admovetur; tandem pro differentibus constitutionibus et peculiaribus idiosyncrasiis Hominum, qui ejus veneni impressionem sentiunt. Sed primi et immediati effectus duo sunt; primus blennorrhoea aut blennorrhagia, sive urethrae fluxus puriformis aut purulentus; alter vero exulceratio pudendorum, sive solutio continuitatis praeputii et glandis. Differunt autem inter se hi duo effectus non solum quoad locum, ubi sese explicant, sed etiam quoad conditionem pathologicam partis affectae. Hunter enim, Bell aliique quamplurimi demonstrarunt, blennorrhoeam non esse semper effectum constantis exulcerationis urethrae, ut primis temporibus existimabatur. Ex hujusmodi demonstratione quaestio illa orta est, utrum eadem contagio hos duos morbosos effectus gignat, an vero duae diversae contagiones existant, ex quarum actione hi duo status habeantur.

Ulcerum venereorum genesis.

Quum virus syphiliticum ad glandem et praeputium masculi, ad labia, nymphas, clitoridem et vaginam feminae applicatur in copula, pro vario gradu actionis, quo gaudet, ad majorem vel mi-

norem concentrationem, et pro diversa dispositione illius, cui communicatur, agit ipsum in partes praedictas tamquam causticum; et quemadmodum vesicatorium esset admotum, erigit vesicam sero plenam, unde Aeger pruritum sentit, qui eum ad fricandam partem excitat: ex hoc rumpitur vesica, ideoque nascitur solutio continuitatis plus minusve grandis et dolentis, quae deinceps indole sua maligna dilatat magis magisque margines, unde arbitror, praeter ulcus venereum, fuisse dictum cancrum seu carcinoma. Haec ratio, qua ulcera syphilitica ingenerantur, dici potest orta a primitiva infectione, atque ita distinguitur a secundaria; quo in casu introductum ab absorbentibus vasculis venenum muco, qui ad instar est vehiculi ordinarii, solutum vagatur per totum organismum, ubi fermentatione, ut Svediaur judicat, eo magis animatur corroboraturque, et luem quam confirmatam appellamus, statuit ac determinat; insuper ad illa sane plurima incommoda, quae tanti morbi propria sunt, accedunt huc illuc sparsa ulcera, quae ab experientia cognoscimus facilius explicari in illis partibus, in quibus exilia magis et minus composita intuemur communia integumenta: hujusmodi sunt glans, internum praeputii, urethra, magna labia, nymphae, labra, os, papillae uberum etc.; quamquam etiam interdum in aliis partibus habentur ulcera venerea, ut observamus in pene, scro-

to, ipsisque coxis, et in reliquis partibus, ubicumque se extendit humani corporis superficies.

Ut per duorum sexuum copulam virus syphiliticum sit in contactu genitalium ad ordinarios effectus gignendos, non est absolute necessarium. Namque ex magna medicarum historiarum serie satis constat, Chirurgos Obstetricos, Obstetrices, et alios quamplurimos, qui vel syphiliticas Feminas parturientes auxilio sublevarunt, vel sibi aliquod vulnus intulerunt instrumentis venereo miasmate inquinatis, vel biberunt aliquid liquidum ex patera, in qua illud solutum fuit, obstinatissimis atque periculosissimis indolis syphiliticae vulneribus affectos fuisse.

Characteres, qui ea distinguunt.

Postquam vidimus, quanam ratione primum ulcera syphilitica efficiantur, maximi momenti esse debet cognitio characterum, qui ad illa unice pertinent, et qui illa ab innumeris aliis prorsus diversae indolis et naturae distinguunt, quamquam aliqua similitudo interesse possit ita, ut facile minus acutus Chirurgi oculus decipiatur cum gravissimo damno non Aegri solum, sed illorum etiam, quibus cum Aegro consuetudo est. Etenim hic error curam minime opportunam necessario induceret, quae quum longe abesset a revocanda in

pristinum sanitate, graviora pericula importaret, et Aegrum ipsum fortasse in vitae discrimen secum traheret. Praeterea turpis macula offunderetur bono nomini, et sustollerentur commoda et emolumenta Hominis ceteroquin honesti, qui aliquando interruptam injuste matrimonii felicitatem queri coactus esset, et inviolato thalamo decedere.

Vix ut ex applicatione viri syphilitici, ut superius notavi, vesica facta fuerit, haec jam rupta relinquit ob contractionem cuticulae, ex qua constabat, suppositum vulnus, quod circulo albo, prominenti, calloso et duro circumdatum est; vulneris basis contegitur crusta valde crassa, et lardacei coloris; pellis quae adhuc sana circum it, est ruboris magis vivi, quam ille reliquae cutis totum corpus obtegentis. Etiam locus, quem ulcus invasit, si de pudendis agatur, aliquod indicium circa ejus naturam exhibebit; raro enim, quemadmodum supra diximus, scrotum et penis syphiliticis ulceribus afficitur, rarius glans, sive id eveniat ob pinguedinosum humorem, quem, ut asserit Hunter, glans perseverante actu copulae sudat, et qui nullum veneno locum permittit; sive quia venenum ob continuum totius glandis confricatae motum impediatur a residendo in ipsa glande tantum temporis, quantum ad suos effectus inducendos satis sit, et e contrario resideat facilius in planis cavitatibus aut angulis, qui ad la-

tera frenuli existunt, sive in circulari canali, qui invenitur immediate post coronam glandis, ubi saepissime in masculis cancri apparent. Iisdem vero de causis ratio reddi potest, cur facilius ipsi appareant in Feminis inter magna labia, interque nymphas.

Quum prima vice syphiliticum ulcus se manifestat, brevi interius residet, emittit guttas eo plus copiosas et acres, quibus vicinas partes, nisi contactus impediatur, corrodit. Prout locus, quem cancer occupat, est plus minusve sensibilis, et plus minusve robusta Aegri constitutio, ulcus serius vel ocyus se extendit, sibique majoris vel minoris momenti phaenomena associat. Generatim observamus, cancrum fere semper remanere ad superficiem in iis, qui sunt conditionis plethoricae, in iis autem qui sunt cachecticae, praesertim si scrophulosa, scorbutica aut arthritica dyscrasia afficiuntur, brevissimo tempore profundas maxime erosiones facere. Quamquam determinari non possit tempus, quo cancer erumpit, postquam aliquis infectus est; alii enim a tribus horis ad sex eum manifestari dicunt, alii intra viginti quatuor et triginta sex, alii etiam post tres hebdomadas, et alii tandem post multos annos; tamen experientia docet, ejus apparitionem fieri quam citissime. Quamobrem unum ex criteriis, unde morbi diagnosis stabilitur, erit in confessione ejusdem Aegrotantis,

qui se cum periculosa et suspecta Muliere rem habuisse dicat.

Quotiescumque humor, qui manat ex cancro, et colorem flavum subviridem, semperque acrem at corrosivum praefert, a vicinis partibus non arceatur, crescit in infinitum numerus ulcerum, quorum singula sese dilatando conjunguntur tandem in unum, et totam glandem invadunt. Hoc in casu surgit ab ipsis carnosa excrescentia, seu pseudocaro peculiaris formae, quam vocant Galli *choux-fleur,* fortasse ob similitudinem, quae intercedit inter figuras hujus morbi, et efflorescentiam brassicae propriam. In Mulieribus autem, quae munditiam negligunt, si a cancris perinaeum dissolvatur, et tam ani quam vaginae una fiat apertio, vel si parva ulcera circa coxas et podicem nascantur, existit illa morbosa species, quae *ceinture de Venus* a Gallis dicitur, quia ex omnibus illis parvis ulceribus quidam quasi anulus et cinctus apparet. Ubi habeatur ulcus, quod ad tactum summopere doleat, et gonorrhoeam secum ferat, procul dubio illud est indolis venereae, ut omnes asserunt, qui de hisce morbis egerunt. Si venereum ulcus apparet in frenulo, id omnino consumitur; si autem in praeputio sedem habeat, septum est a peculiari duritie, quae illius unice est propria; majorem dolorem affert, quam quodcumque aliud in alia parte manifestum, vel diverso fomite donatum;

inflammatio tam facile crescit, ut saepe phymoses et paraphymoses inducat.

Etsi vehementissime erret, siquis putet reapse venereum illum morbum, qui mercurio sanetur, quum plurimae efficaciae remedium hujusmodi in multis morbis inventum sit; tamen, ubi accedat aliud criterium, valere etiam posset idem pharmacum in morbo, de quo agitur.

Addimus praeterea, Girtanner nostro judicio male ulcera syphilitica distinxisse in benigna et maligna. Primum enim deberent poni duae vel plures venereae contagiones indolis diversae, quod nemo adhuc demonstravit, sed solum nonnulli conjectura assecuti sunt: deinde, positis etiam diversis syphiliticae contagionis speciebus, quanam umquam ratione vere dici poterit benigna contagio, quae, etsi periculosissima non sit, nec remediis omnino indocilis, perturbat tamen semper naturales functiones animales, textus dissolvit, et Aegrotum et male mulcatum eum linquit, qui illam contraxit? Quoniam vero habentur reapse in praxi ulcera contagiosa syphilitica, quae quum stadia valde diversa percurrant, diversae indolis inter se videntur esse singula, (sive id fiat ob diversitatem contagionis, unde emanant; sive ob varias circumstantias, ut est varietas temperamenti et constitutionis Hominis; varietas loci, in quo contigit applicatio contagionis; major minorve ejusdem concentratio, et alia quam-

plurima, quae ad immutandum processum morbosum affluere possunt, quod in multis aliis morbis fit), quoniam, inquam, omnes hae differentiae in morbo syphilitico occurrunt, nonne melius et magis proprie illa ulcera appellanda essent mitia et violenta?

Ad extremum animadvertendum est, quod Medicus vel Chirurgus in stabilienda ulcerum syphiliticorum diagnosi numquam sibi satis cautus et prudens erit. Quemadmodum enim quicumque stimulus ad uretrham admotus potest gonorrhoeam excitare, quae a venerea contagione minime pendeat, ut accidit Pueris liberius onanismo indulgentibus; ita etiam quicumque stimulus, qui ad genitalia externe applicetur, esse potest causa inflammationis, suppurationis et exulcerationis in iisdem, ut in qualibet alia organismi parte, quae singulae affectiones a syphiliticis maxima cum difficultate, immo vix distinguuntur. Testatur quidem Girtanner, se quosdam Masculos vidisse, qui licet cum Feminis robusta sanitate et integritate corporis praeditis rem habuerint, numquam tamen inde discesserunt, nisi contractis et acquisitis cancris; quod ipse vel nimiis vaginae angustiis, vel alii causae, unde glans et frenulum laederetur, tribuit. De hujusmodi cancris etiam Antiqui passim loquuntur; inter alios ita Celsus: *Ulcera vel in cutis ulteriore parte, vel in glande, ultrave eam in cole reperientur: quae necesse est aut pura, siccaque sint;*

aut humida et purulenta. Celsus VI. 18. *Solet etiam interdum ad nervos ulcus descendere; profluitque pituita multa, sanies tenuis malique odoris, non coacta ... doloresque is locus et punctiones habet*. Id ibid. *Interdum autem per ipsa ulcera coles sub cute exesus est sic, ut glans excidat*. Id. ibid.

Prognosis.

Multa sane sunt, quae considerate perpendere opus est, quum nonnulla de venereis ulceribus praedicere debeamus. Quotiescumque circumstantiae existant simplices, primitivae et recentioris temporis, sanitas plus minusve prompta et facilis praesagienda erit pro loco, quem ulcera occupant, sive sit glans, sive frenulum, sive praeputium. In his duobus extremis maxime illa obstinata sunt, et vehementiorem dolorem afferunt, atque inde universalis absorptio facillime propagatur. Si autem agitur de ulceribus jam tempore inveteratis, quae tamen simplicia et primitiva sint, absorptionem jam natam judicare oportet, et idcirco cautiores in emittenda prognosi esse debemus. Quod si lues sit universalis, et ulcera existant secundaria, necesse erit in prognosi facienda considerare locum, aetatem, extensionem ulcerum, damna, quibus totum organismum subjectum fuit, aut proxime erit,

morbi complicationes, idest, utrum Aeger sit robustus, juvenis, non dyscrasia affectus etc., an contra cachecticus, scrophulosus, scorbuticus, rachiticus, arthriticus, rheumaticus etc.; quae dyscrasiae non solum addunt syphilidi plurimum molestiae et pertinaciae, ita ut brevissimo temporis spatio illa citissime progrediatur, et omnes cujuscumque speciei textus dissolvat; sed ipsae etiam, ubi ad syphilidem accedunt, quam maxime corroborantur per se, atque extremum exitium saepe numero important.

Curativa methodus.

Si quis umquam morbus extitit, de cujus curandi ratione dissidia et bella inter Medicos omnium temporum orta sint, is profecto fuit venereorum ulcerum morbus. Ab eorum cura usum corrosivorum externe proscribit Fritze; illa enim esse in causa dicit, cur promoveatur absorptio stimulando et coarctando lymphatica vasa, quamvis actio ultima ad retardandam absorptionem magis apta videatur. Jubet itaque ipse, curari haec ulcera fere solis mercurialibus internis, quemadmodum curatur lues; ratus, formatis jam omnino ad genitalia ulceribus, translatam etiam esse eodem tempore veneream materiam in humorum massam. Externa autem remedia tunc solum necessaria dixit, quum ulcus in homine morbose irritabili ita topicis corrosivis male habitum fuit, ut vehementis-

sime doleret, sanguinem facile emitteret, et nodosa duritie circum obstringeretur. E contrario nullum internum remedium adhibendum esse contendit Girtanner, nisi vero illud exigant peculiares quaedam indicationes; ipse curari simpliciter vult ulcera solutione petrae causticae satis dilutae, sive aqua calcis recens praeparata; atque ubi rubicunda et mollia fiant, claudi jubet solutione producta extracti Saturni Goulard. Aliis bene multis Auctoribus, topica etiam caustica placuerunt, quibus interne una cum mercurio utendum esset. Angli praesertim, et in his maxime Chirurgi militares, quibus certe multiplex occasio sese offerebat rei experiendae, ajunt, se multa ulcera syphilitica primitiva curavisse sine usu mercurii, et adhibuisse tantum localiter detersiva, et diaetam cum quiete, quin in posterum lues appareret. Hunter ad horum ulcerum perditionem, si quidem ea recentia sint, tamquam efficax remedium cauterizationem proponit nitrato argenti, vel ferro extirpationem, si pars affecta id ferat; vulnus deinceps curandum dicit ad instar simplicis plagae. Ita, de illius sententia, contagionis fomes omnis, atque hinc absorptionis periculum tollitur. Sunt praeterea, qui arbitrantur, ulcus venereum etiam primitivum universalis luis indicium semper esse, ideoque semper esse adhibendam generalem curam antisyphiliticam, ut salus iterum acquiratur.

Ex his omnibus, quae tam dissimilia ac diversa pronuntiarunt Homines doctrina et experientia clarissimi, quorum fidei non acquiescere nemini prorsus licet, sequentia corollaria, ut opinor, deduci possent: 1.° plures esse methodos, quibus curari queunt radicitus ulcera: 2.° has non posse omnes in omnibus circumstantiis aequaliter adhiberi: 3.° necessario consequi, ut una ex iisdem deligatur magis idonea, ceteris omnino neglectis. Ego equidem, si agatur generatim de ulceribus primitivis non complicatis, quae denique sunt magis communia (nam secundaria ex his consequuntur, vel quia neglecta vel quia male curata fuerunt), in ea opinione essem, ut concluderem, tutiorem methodum ex curativis esse promiscuam, scilicet localem et internam. Et sane, quamquam absurda sit opinio eorum, qui ulcus primitivum luem universalem indicare dicunt; nam si ita esset, nullum ulcus solis topicis curatum a lue disjungeretur, quod contra quotidianam experientiam est; cur non commendandus erit interne ad praeveniendam luem usus mercurii, cujus maximam vim et efficaciam in lue jam confirmata cognoscimus? Si localibus remediis, et praecipue escharoticis, quibus cicatrix tam cito obducitur ulcerum, si etiam excisione *bisturino* facta, ut hortatur Hunter, impedita est absorptio, ac propterea internus mercurii usus minime necessarius; quidnam, quaeso, mali timendum erit a Chirurgo, si sapien-

ter et caute mercurio utatur, ubi nulla alia indicia habeat ad judicandum, utrum nec ne facta fuerit absorptio? Injusti profecto sunt, qui hujusmodi pharmacum longe amandant et proscribunt; quod mihi videtur et ex supina ignorantia et ex falso perniciosoque judicio proficisci. Quod si mercurium vel inscitia illius, qui praescripsit, vel obstinatione Aegri, qui imprudenter sumpsit, aliquid mali interdum attulit, id extra omnem dubitationem tenendum est, incredibilem Hominum multitudinem validissimae illius remedii actioni salutem restitutam unice debuisse.

THESES DEFENDENDAE

I.

Ulcera syphilitica non semper communicantur.

II.

Funiculus umbilicalis circa collum Foetus involutus numquam periculosus, quidquid nonnulli, praesertim Antiqui Obstetricantes contra affirment.

III.

Balsamum Coppaibae damnosum potius, quam utile est.

IV.

Docimasia pulmonalis ad infanticidium probandum, vel denegandum, infallibile argumentum suppeditare nequit.

V.

Partus praecox cum praematuro non confundendus.

VI.

Remedia lithotriptica proprie dicta non adsunt.